

Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahamæ.

Léctio libri Génesis

22, 1-2. 9a. 10-13. 15-18

In diébus illis:

¹ Tentávit Deus Abraham et dixit ad eum:
«Abraham».

Ille respóndit: «Adsum».

² Ait:

«Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac
et vade in terram Moría;
atque offer eum ibi in holocáustum
super unum móntium, quem monstrávero tibi».

[3-8]

^{9a} Et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus,
in quo ædificávit Abraham altáre
et désuper ligna compósuit.

[9b]

¹⁰ Extendítque Abraham manum et arrípuit cultrum,
ut immoláret fílium suum.

¹¹ Et ecce ángelus Dómini de cælo clamávit:
«Abraham, Abraham».

Qui respóndit:

«Adsum».

¹² Dixítque:

«Non exténdas manum tuam super púerum
neque fácias illi quidquam.
Nunc cognóvi quod times Deum
et non pepercísti filio tuo unigénito propter me».

¹³ Levávit Abraham óculos suos
vidítque aríetem unum inter vepres
hæréntem córnibus;
quem assúmens obtulit holocáustum pro fílio.

[14]

¹⁵ Vocávit autem ángelus Dómini Abraham secúndo de cælo et dixit:

¹⁶ «Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus: quia fecísti hanc rem et non pepercísti filio tuo unigénito,

¹⁷ benedícam tibi

et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli et velut arénam, quæ est in lítore maris.

Possidébit semen tuum portas inimicórum suórum,

¹⁸ et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obœdísti voci meæ».

Verbum Dómini.